DE

# VITÆ ATQUE MORBI NOTIONIBUS.



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

N MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

CAL. SEPT. A. MDCCCXXVIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LUDOVICUS MOSER

BEROLINENSIS.

*OPPONENTIBUS:*

W. A. ARENDT, CAND. TH. ET PHIL. DD.
D. MEYER, CAND. MED.
J. G. DROYSEN, STUD. PHIL.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

QUO MAGIS RES SINGULARES INTELLIGIMUS EO MAGIS DEUM INTELLIGIMUS.

*SPINOZA.*

# Praefatio.

Dissertatio, qualem hanc scripsi, inauguralis, ab alio quolibet opere literali prorsus est diversa; non tam, ut primitiae armorum, quae cum palaestra commodum relicta tirocinium ponantur, ludum sapiant tironisque cruditatem; (hoc enim discrimen, quod aliquid esse non nego, ad quantitatem pertinet meliorum deteriorum, quae congestae sint, rerum) sed quod nullis qui legant expectatis, scripta est dissertatio. Hoc ut diversam ipsius a caeteris scriptis rationem, ita propriam in ipsa scribenda rationem perhibet, naturamque intimam afficit.

In caeteris enim scriptis auctoris optio eligendae materiae tantum est et arbitrium de libro ante librum scriptum. Quo argumento electo auctoris arbitrium cedat necesse est lectoris restrictissimis materiae apte elaborandae postulationibus, summoque jure liber scriptus ad lectoris judicium vocatur.

Dissertationem autem scripturus quisque lectorem, quippe qui non expectetur, lectorisque postulationibus suo jure non respicit. Non materiae tantum, sed idem materiae tractandae arbiter est scriptor, neque quod exspectaverint lectores, quippe qui nulli sint, sed quod ipsi visum est, profitetur atque in medium profert. Sic dissertatio auctori ipsius est speculum, auctoris speciei judicium non lectorum, qui aut non sunt, aut, si sunt, esse ignorantur et negliguntur.

Itaque factum est, ut, qua ratione usus sim in explicanda vitae morbique natura, latius exponerem curiosiusque probare studerem necesse esse non videretur. Neque si, ubi altius in res descendere, naturam speciatim examinare consentaneum fuisset, specialitates strenue anquirere neglexi aut noli, vires certe, quominus fecerim, non sufficiunt.

# Summa rerum pathologicarum historiae.

§. 1.

Sua quodque opus qualicunque materia una ex parte aliquid historicum est. Totius operis et quantum historici in eo continetur, eadem ratio, idemque census est.

§. 2.

Opus ita est aliquid historicum, ut specie tantum priora de eadem materia opera exanimet atque deleat, reapse non deleat sed complectatur et quasi exanimati operis animas in se colligat. Broussais ut exemplo utar in „Examen des théories médicales" Browniani systematis exstinctorem se exhibet; attamen ejusdem viri theoria, ut et ipse nonnullis locis affirmat et ex ipso ejus systemate satis superque percipitur, ex Browniana theoria profecta est.

§. 3.

Qua circa uti universa, ita Medicinae historia certo uno de loco atque gradu adspici et tractari debet, etiamsi, de uno loco tantum historiam omnino adspectam tractatamque esse, criminis periculum suscipiatur. Quod, nisi fit, propriam certe historia naturam dimittit, nimirum consequentiam, qua Facta ita proponuntur, ut deinceps unum post alterum s. unum ex altero appareat: id quod ad hunc usque diem in Medicinae maxime historia conscribenda est neglectum, quippe cum in ea singula Facta non successivo ordine, sed unum juxta alterum positum perhibeantur.

§. 4.

Quae sententiae ut recentissimo demum tempore sunt probatae, ita altiorem in scientiis cognitionem, qua confirmentur, postulant.

§. 5.

Veterum Medicorum via ac ratio in illo nititur ut observetur; experientiae fines ubi Medicina supergredi interdum conatur, destituta experimentis, in vanarum opinionum aufertur regionem. — Neque tamen illa ratio ad historiam eam, quam modo significavimus est accommodata, quia polemica parte caret.

§. 6.

Medio aevo ad Browniani systematis usque tempus postulabatur, ut et normalia et abnormia organismi phaenomena explicarentur. Haec periodus est, qua et vitae et morborum phaenomena

ex mechanicis et physicis et chemicis Datis deducebantur, sicut recentiori aetate deinceps Mechanicen („Kramp») Galvanismum, Oxygenium, Azotum etc. pro vitae principiis atque motoribus haberi vidimus. — At ne hac quidem ratione, quae ut antecedens polemica parte caret, vera historia effici potest.

§. 7.

Explicare enim nihil aliud est, nisi serie quadam phaenomena inter sese connectere, quorum quidem postremum quodque non magis notum est quam antecedens. In explicationibus ideo semper progressus in indefinitum positus est, h. e. concessum est, ne unum quidem phaenomenon ullo modo posse percipi.

Quodsi e. g. calor animalis ex respiratione et ex acido carbonico quod in ea formatur explicatur, tum quaestio movetur, unde in oxygenii cum carboneo conjunctione calor exoriatur. Ad hoc dixerit aliquis „quia in hoc processu atomi evanescunt, vel in universum voluminis imminutio fit, de calore autem — quae vulgaris est opinio — atomorum remotio pendet.» Vel etiam secundum Electrochemicorum sententiam calor dicitur oriri ex conjunctis $+E$ cum $-E$. Jam vero denuo quaeritur, unde ex priori explicatione carboneum et oxygenium calorem suum habeat latentem, ex posteriori unde fiat, ut utraque Electricitas una cum luce et calore in corporibus reperiatur. Tum ad idem phaenomenon rursus pervenimus quod erat explicandum, ad hoc

scilicet, in omnibus corporibus inesse calorem, latentem in anorganicis, patentem in organicis. Vel si quis — aliud ut proferamus exemplum — processum chemicum Electrochemicorum ratione explicare velit, tum quaestio est, cur conjunctio illa permaneat, etiam neutralisatione tensionis electricae effecta? Berzelius hoc quidem ex vi peculiari atomis inhaerente explicat. At in corporibus chemici processus peculiarem vim inesse, id vel ante electrochemicam et quamlibet aliam sententiam notum est. Suppositio igitur tensionis electricae, quae corporibus processum chemicum producentibus sit innata, hac ipsa re impeditur, quae ei est explicanda. Atque tota sententia reapse nonnisi eo redit, una cum chemico processu electrica phaenomena esse conjuncta: ipsum vero processum prorsus inexplicatum relinquit.

§. 8.

Ac profecto ejusmodi eventus vel a priori provideri potest: nam in chemico processu e. g. etsi calor, lumen, Electricitas, Magnetismus participent, nihilo secius chemicus processus suam obtinet proprietatem. Proprium autem id ipsum dicimus quod ex aliis Datis explicari non potest. Atque ita, si regredimur, in natura prorsus nihil explicari potest, sed solummodo de proprietatibus h. e. de notionibus agitur.

§. 9.

Quod autem ad vitae phaenomena attinet, ex anorganica natura intelligi illa quidem non pos-

sunt. — In physica physiologia nullo pacto niti potest; nam corpus in quo, quod maius quidem habet pondus specificum tamen solum non petit: corpus quod sub qualibet conditione eundem semper ostendit calorem patentem: talia non sunt in quibus physice versetur. — In Chemia physiologia niti non potest; nec enim illa habet quod dicat de discrimine puris ac lymphae, quae eandem quam mors et vita inter sese habent rationem, nec quid intersit inter animabilem respirationis processum ac putredinem, qui utrique ei pro acidi carbonici conformatione habentur. Atque ipsi mere chemici in cadavere processus, eius etiam quae maxime sunt stabilita praecepta, e. g. doctrinam de proportionibus, fugiunt. Ita in ipsa morte vita chemicum processum repellit.

§. 10.

Ante theoriam Brownianam morbus erat aliquid, quod explicare h. e. cuius causas eruere studebant. Hac vero via ad nullam, ne de singulis quidem morbis, nedum de morbo in universum sententiam adducimur. Si e. g. diabetes mellitus ex acidi urici quantitate iusto maiori secreta oriri putatur, tunc huius morbi notio nonnisi ultra dilata est: ac restat ut aucta illius acidi secretio perspiciatur, h. e. ne unum quidem gradum ad morbum illum intelligendum progressi sumus, sed tantummodo unum ex eius effectibus, non causis reperimus.

In hoc speciali exemplo autem prolucet sen-

tentia aliqua, qua, nisi ipsa removetur, caeteris meis, vel potius omnibus disquisitionibus finis imponitur. „Scientiae utiles esse debent hominibus; Medicina (ut in ea subsistam) eos sanos reddere debet. In Physiologia quaecunque de organismi natura cogitationes instituuntur nullam in partem sunt noxiae, in Pathologia vero theoria non nisi detrimento esse potest; in eius finibus observatio et experientia tantummodo valere debent.“ Philosophi nonnulli ad hoc responderunt. „Pathologiam per theoriam non solum augeri sed potius fundari: opus esse ut infinita phaenomenorum copia atque varietas ad communes quasdam leges reducatur.“ At prorsus inanis haec quidem sententia. Ipsa phaenomenorum varietas communes illas leges refutat, quippe quae singula, quibus solis in hac regione auctoritas inest, prorsus profligant. Atque ad Medicinam per theorias preficiendam quod attinet, et mortuorum indicibus et temporum praeteritorum experientiis, ad alias de hac re placita sumus adducti. Quid enim singula minoris momenti emolumenta valent, pro detrimentis iis quorum locus est in theoriis?

Nec tamen ex fructibus theoriam sum probaturus, sed ex ipsis eius damnis quippe quae exsistentiam eius necessariam, nec usquam abiiciendam esse manifestent.

Utilitatis leges in pace quidem vigent, atque etiam imperium quasi excercent nullis finibus circumscriptum; sed quum bellum erumpit, quum

nova, et aliqua ex parte vera theoria in medio ponitur, tum quis utilitatis leges novit, ubinam genus humanum tum eas sustentavit vel observantia coluit? Quanto horrificentior in theoriae arena caedes fuit, tanto firmius eius existentia stabilita est. Ubi in eiusmodi temporibus vox experientiae consiliatrix? ubi priorum theoriarum cohortationes victrices?

Generis humani historia docemur nusquam certamen non contra theoriam, sed pro illa esse reformidatum, quinimmo semqer ab ingeniis quibusque altissimis incitatum atque confectum esse. Nusquam genus humanum maiores suas causas pro illis postulationibus utilitatis in discrimen adduxit. Immo, ubi in singulorum historia populorum eae apparent, inde indignabundi animos avertimus et vividiores etsi cruentiores certaminis campos circumspectamus.

Ab hac igitur parte mihi nihil opponatur: sanguine suo genus humanum, ut veri cognoscendi studium probetur, contendendi et flagitandi emit ius.

## §. 11.

Inde a Browniana theoria morbus coeptus est intelligi. Intelligere autem morbum nihil aliud est, nisi in ipsa vita eum cognoscere; quam cognitionem vel ii Pathologi pro necessario habent, qui morbum in ipsius causa ponant, et hanc solummodo perscrutentur. nam coacti sunt, ut illis suis causis certam organismi receptivitatem supponant; unde fit, ut causae tanquam morborum praedisponentes tantum accipiantur.

## §. 12.

Secundum Brownianam theoriam organismus incitabile aliquid est; unde colligitur, omnes potestates quae ad eum habent vim, necessario esse incitamenta. Quae notiones perquam abstractae ut multifariis vitae phaenomenis adaptentur, in incitamentis ipsis aliquid multifarium statui debet. Atque hoc multifarium Brown dicit esse quantitativum.

In hoc primo igitur qui est de vita notionis gradu, vita nihildum aliud est nisi mortuum cum sola facultate (Möglichkeit) vitae positum; ipsa vita non nisi negativum aliquid atque adeo coactum est. Gravius Browniani systematis momentum in eius vitae definitione non positum est, sed eo tantum quaerendum est, ubi, omnibus prioribus de vita atque de vi vitali theoriis, omnibusque prioribus de vitae et morbi explicationibus reiectis, recta via vitae phaenomena adeuntur atque notione intelliguntur. Sed vitae phaenomena ab inferiore ratione adspicit Brown, nimirum a parte incitabilitatis. ea quae nihil fere, nisi prima in physiologia cognitio et quasi sapientia est primis labris gustata, quae in organismo nihil sentit praeter angustas rationes, ut causas et effectus, incitantia et incitata.

## §. 13.

Nullum est systema quod saepius impugnatum fuerit quam Brownianum; nec tamen inficiari quisquam potest hoc ipsum systema, therapia excepta,

nullo modo accurate esse refutatum: unde factum est, ut aliis illud quidem formis indutis etiam nunc non raro prodeat. In thesibus magni Scoti repugnantia et falsa invenire multi studuerunt. Sed haec via non est qua eiusmodi systemata removeantur. In illa via inveniri quidem potest an rectum systema sit, minime autem utrum verum, nec ne

§. 14.

Browniana theoria autem rectissima est. Quod incitabile est, id incitari debet, idque potest et normaliter et supra normam. At vero Browniana theoria vera non est, quod, ut demonstremus, non refutabimus illam, sed potius magis fundabimus.

Sit hunc ad finem + E id quod incitat, — E autem id quod incitatur (incitabilitas). Exponatur corpori B, + E habenti, corpus A insulatum, cuius in superficie, sub actione corporis B, + E et — E disiunguntur, et secundum novam eamque rectiorem physicorum sententiam, eodem modo ac eodem loco inveniuntur. Si + E in corpore B mediam habet intensitatem, tum + E et — E in A quasi in equilibrio erunt h. e. incitabilitas et incitatio harmoniam aliquam producent — status sanitatis. Si autem in B + E deminuitur, tum — E in A crescet incitabilitas augebitur — debilitas directa. Si contra + E in B crescet, tum — E in A minori cum quantitate observabitur — sthenia. Ac si + E in B maximam obtinet gradum, — E i. e. incitabilitas in corpore A omnino evanescet — debilitas indirecta.

Brownianum igitur systema rectissime se habet, atque adeo in ipsa natura anorganica rectum est, h. e. in organismo non verum. Est enim eo destitutum, quod naturae organicae prae anorganica est proprium.

At dicat forsan aliquis „incitabilitas in organismo est status vel conditio normalis, non autem in natura anorganica Electricitas," (quod quidem longe a vero abest); tum pro processu electrico chemicus ponatur, et e. g. acidum ut incitans, Alcali vero ut incitabile ponatur et tres illi hic quoque reperiuntur status: stheniae, debilitatis directae et indirectae. Incitatio autem τοῦ Alcali per acidum, τῷ Alcali normalis est conditio, ac non insolemnis.

At porro aliquis dicat „organica corpora in eo ab anorganicis esse diversa, quod in his incitatione adhibita semper certa quaedem reactio subsequatur, in organicis contra libera" h. e. propria. Ita vero Browniana theoria omnino non est probata, sed nunc ex omnibus partibus refutata; nam ipsum reactionis proprium haec theoria in medio relinquit, in eo ipso, ubi nihil praeter proprium illud proferre debebat, quo solo ad physiologicam theoriam provehi potuisset. Neque id quidem. nam etiam illae physicalium virium quae dicuntur polaritatis inventiones, quarum nostra aetas singulariter est fecunda, Physices legitima subvertere et physicalibus phaenomenis necessitatis leges eripere comminantur, quas iis prior Physice, in mo-

dificationibus illis et miraculis nuper detectis minime versata, multo temerarius attribuit.

§, 15.

Verissime igitur „Broussais“ monet: *„Brown a saisi l'idée de l'incitabilité d'une manière abstraite et collective.“* h. e. tali modo, quali in universa non solum in organica natura locum habet.

§. 16.

Prorsus mihi licitum est, theoriam Brownianam indicata ratione exponere. Neque Browniani e. g. Marcus usquam aliter eam comprehenderunt; nec ipse Brown in Pathologia speciali ab illa ratione decedit. Praeterea autem in propositionibus physiologicis incitabilitatem suam omnino ad sublimiorem gradum provexit. Omnes enim functiones vitales (Brunonis elementa §. 12) pro effectibus habet incitantibus, h. e. quae ex incitabilitate et incitatione profecta sunt, ea ipsa denuo incitamenta esse censet. Quae sententia primus est gradus ad theoriam Broussaianam. Etsi vero hanc sententiam sub Notae tantum forma invenimus, ut quae ad theoriam ipsam nihil faciat, tamen medendi rationem quantum ad methodum, sive universalem sive topicam determinat.

§. 17.

Influentia una quaeque, cum semper sit stimulans, idque topice, cum in partibus iis quibus immediate applicata est maximam, in toto organismo minorem efficit incitationem, haud difficile intellectu esset si theoria Browniana methodum topicam

in universum praescriberet. Organon autem incitatum secundum laudatam illam sententiam et ipsum incitans versus organismum est, qui ipse igitur duplici, et primarii et secundarii incitamenti effectui subiectus est. Incitamentum vero in organo affecto deminuere et hac re totum morbum quasi discutere, hoc fieri non potest. nam tum organismus incitatus, etiamsi ab affecto organo removeamus oculos, tamen ex lege efficaciae mutuae, versus se ipsum stimulans est.

## §. 18.

Itaque secundum Brown et morbus topicus rationem medendi postulat universalem, cui Broussais opposuerit, „et morbi generales topice sunt pertractandi.“

## §. 19.

Sed priusquam theoriam a Broussais propositam evolvo, necesse est ut ad philosophiae in Germania viam post philosophiam Schellingianam animum convertamus. Haec philosophia prioris temporis methodos, inanem scilicet abstractionem rationis ratiocinantis (*reflectirenden Verstandes*) negaverat, quae negatio omnino necessaria erat ubi primus ad naturam intelligendam fieri debebat gradus. Ex eadem philosophia duo profecti sunt rationis philosophandi modi, quorum utriusque indoles communis in eo positum est, ut quae methodi, quae formae in disciplinis significatio sit, prorsus ignorent.

Ab altera parte licentia oritur cogitandi, quae argumentum quodvis nonnisi pro phantasiae materia habet. Erat in Germania philosophia naturae, quae longe Empiriam anteverterat, atque ita quidem, ut secura illa et lenta Empiria, correptis tantummodo gradibus, properas illius cogitationis praetensiones repellere posset.

In doctrina de lumine potissimum philosophia haec multum versatur: videbatur sibi in lumine, quasi ipsius essentiam nebulosum illud omnique argumento destitutum reperire. Sed his ex somnis firma nostri temporis Empiria luminis eam sustentavit.

Recentioribus in luminis regione inventionibus nos decipi non debemus; non anomalia luminis inventa sunt, immo vero, quaecunque ut nova illa Data ex notione deducerentur conata sunt et enucleata, haec ad irritum redigentur nisi cum propria corporum exsistentia coniungantur. Reflexionis et refractionis leges ex sola luce sunt derivandae: id quod varia corpora in eas efficiunt, partim ad intensitatem recidit, partim ad numerorum aliquam rationem ad ipsam rem non pertinentem, ut e. g. in refractione quantitas rationis sinuum.

Sed in luminis polarisationis phaenomenis de accessibus „fits" agitur, qui accessus non sunt luminis sed corporum. Formulae eae quae Biot hisce in rebus evolvit, speciosam duntaxat normalitatem exhibent, omnes vero accessibus nitun-

tur; ii autem normales non sunt, sed expressio phaenomenorum.

Satis ego quidem compertum habeo, quod theoria undulationum, quae profecta est a Young, Fresnel et Arago, domonstrare conatur, accessum newtonianum aequalem esse $\frac{1}{4}$ d, h. e. $\frac{1}{4}$ undulationis unius. At hic oblivisci non debemus, hoc ipsum d quadruplum esse accessum, unde apparet, intime hanc theoriam positam esse in accessibus. Nam quod in lumine violaceo longitudo undulationis iudicatur $= 0{,}000406^{mm}$ in rubro $= 0{,}000623^{mm}$ quid est nisi accessus?

Phaenomena interferentiae omne lumen ex puncto uno emanare postulant, atque eo distinctiora se praebent, quo magis huic conditioni approximatur, qua conditione transgressa, ut mihi saepe supervenit, phaenomena non percipiuntur.

Illud autem phaenomenon diffractionis a Grimaldi primo observatum, hanc quidem conditionem nullo modo postulat, ita ut, lumine solis et maximam per aperturam intrante, fimbriae non minus cernantur. Sed hoc ipsum est phaenomenon, quod theoria undulationis nullo modo explicavit.

Theoria vero emissionis lumini ex uno puncto emananti adhuc prorsus accessus non adhibuit, atque, quum luminis propagatio in sphaeris sit, etiam accessus conditionibus quibus evolvantur datis propagationem sphaericam vel ut est in vulgari observatione, in circulis, quorum centrum punctum illud est, exhibere apertum est.

Ab altera parte rigescit et quasi torpescit materia in forma, in methodo, quae ut schematismus perfectus prodit. Ut autem prioribus temporibus in rebus philosophicis methodus erat rationis, ita nunc intellectus (*Methode des Verstandes, Methode der Vernunft*) quae tamen methodi fere nihil inter se distant, nisi in eo, quod ex priori distributione dichotomica iam facta est trichotomica. Eiusmodi formalismi distributio functionum vitae secundum 1, sensibilitatem 2, irritabilitatem, 3, reproductionem, exemplum est. Quae distributio adeo nullius momenti est, ut ipsi Materiae medicae eodem successu sit adhibita.

Praeter hanc classificationem pro philosophica Pathologiae tractatione in Germania nihildum est praestitum. Satis frequenter de morbi notione ea invenitur sententia, quam „Troxler“ (*Versuche in der organischen Physik* pag. 276) de Pathologia habet, atque hisce verbise exponit „*Dass diess Problem (eine eigentliche Medizin aufzustellen) gelöst werde, ist eine Aufgabe, die sich sie Vernunft, welche sich durchgehends in der Natur zu finden suchen muss, nothwendig macht — allein wenn sie es ist, so besteht Physiologie, allein auch nichts ausser ihr. In ihr selbst liegt aber kein Grund, warum sie Medicin aus sich gestalten soll — ja sie würde diese Forderung nicht befriedigen können, ohne sich selbst zu* zerstören, *denn ihre Aufgabe ist Darstellung des Lebensprozesses in seiner Absolutheit — also in seiner Normalität.*“

Hunc locum apposui ut supersedere possim alias

in Pathologias inquirere, quae ad summum externam tantummodo philosophiae speciem prae se ferant; quam quidem speciem ne Troxleri quidem Nosologia dissimulare potest.

Praeter hanc philosophiae faciem ab omnibus morbus pro sanitatis abnormitate, itaque pro re aliqua omni vera notione destituta habetur.

---

Sed ex duabus his partibus duo philosophiae organismi exsistunt, altera contra cogitationis licentiam conversa, ut scientia, atque ea quidem ut encyclopaedica; altera contra rigidum Schematismum conversa, propriam corporum exsistentiam vindicans, nihilo tamen minus Empiriae quae totum aliquid complecti non possit renitens.

Quorum philosophiae systematum neutrum invenio in regione ea, in qua haec versatur dissertatio.

## §. 20.

Broussais in suo „Examen des théories médicales“ omnia priora systemata impugnat. *„Ma théorie me sert d'étalon pour apprécier celles de mes prédécesseurs.“* Qui in historica operis sui parte quamvis iniuste et unam tantum rationem persequens omnia quasi prosternit, tamen infitias ire nemo potest, ab eo primum ad Medicinae historiam gradum esse factum, et ad eam quidem historiam, quae maioris certe est momenti, quam mera Chronica. In ea saltem studium non agnoscere non possumus eripien-

di varia Medicinae systemata otiosae illi comparationi et enumerationi.

Medicis hippocraticis hoc opponit: „*un seul organe lésé produit une foule de symptômes qui se combinent avec ceux qui dependent de plusieurs autres dans des nuances si variées, qu'il est presque impossible de rencontrer dans la nature des groupes de symptomes absolument semblables à ceux qu'on a pris pour modèles.*"

Medicis nosologicis hoc opponit: „*les groupes de symptômes que l'on donne pour des maladies, sont des abstractions methaphysiques qui ne représentent point un état morbide constant, invariable, et dont on soit assuré de retrouver le modèle dans la nature; ce sont donc des entités factices, et tout ceux qui etudient la médecine par cette méthode sont des ontologistes. Considérer les entités morbides factices comme des puissances malfaisantes qui agissent sur les organes en y produisant tel ou tel désordre, c'est prendre les effets pour les causes. Considérer la succession des symptômes comme la marche nécessaire et invariable de la maladie, c'est se mettre dans l'impossibilité de traiter cette maladie avant sa terminaison, sans être en contradiction avec ses propres principes.*"

Ceterum memoratu dignum est, quod Broussais principium Nosologorum philantropico tantum studio adscribit

Contra Brown haud immerito contendit: „*il a saisi son incitabilité d'une manière abstraite.*"

§. 21.

Morbus morborum secundum Broussais Gastro-Enteritis est, „*la Gastro-Enterite est la base de la Patho-*

*gie.«* Ipse Pathologiam quamque pendit, prout magis minusve ea morbum illum cognitum habet et dicit: *„C'est à la France que l'on devra la connaissance de la Gastrite chronique et du rôle qu'elle joue dans toutes les maladies de langueur, ce qui est immense.“*

Ne in therapia quidem aliam habet indicationem quam contra hunc morbum agere. Pro inflammatione, sensu vulgari, hanc autem phlegmasiam non habet, nam ipse dicit: *„Ce n'est point avoir une juste image du grand phénomène* (il s'agit de la Gastro-Enterite) *que de lui associer l'idée de vigueur.«*

§. 22.

Si Broussais ex ea sententia iudicatur: morbum quemque Gastro-Enteritiden esse, tum sane facile potest convinci, at parum intellectus est. Vel levis eius operum inspectio satis superque ostendit, esse aliquid in iis intelligendum, quod si ita est, talis certe refutatio ad tale opus non adscendit.

§. 23.

Practicas vero apud Broussais sententias theoreticis rationibus esse fundatas, id uno tantum exemplo demonstrabo. Dicit Broussais: *„Aucune inflammation extracérébrale ne peut produire la manie sans le concours de celle de l'estomac et des intestins grêles.“* Haec sententia immerito pro mere practica habetur: quia etiam ex sua de mania sententia profiscitur quam ita proponit: *„lorsque l'animal souffre et meurt pour avoir refusé de satisfaire aux besoins des viscères, c'est le triomphe de l'intelligence sur l'instinct.*

*Mais lorsque la raison s'aliène par la resistance que le moi oppose aux besoins des viscères c. a. d. par la surirritation qu'ils ont excitée dans le cerveau, c'est le triomphe de l'instinct sur l'intelligence."*

Hic paulum certe ad rem facit contra propositam maniae aetiologiam singula quaedam pathologica Data proferre. Tali modo ipsa sententia labefactari non potest.

§. 24.

Bichat vitam distinguit in animalem et organicam, in vitam systematis cerebralis et illam gangliorum v. viscerum. Organica vita ei negatio vitae est. Apud Broussais morbus est animalisatio, ut ita dicere liceat, vitae organicae, quae animalisatio sese ut phlegmasiam manifestat. *„l'inflammation met les extrêmités nerveuses de rélation de la plupart des tissus dans un état à peu près analogue à celui des extrêmités nerveuses qui font partie des surfaces sensitives naturelles; ces foyers de phlegmasie deviennent donc des sens accidentels. (c. a. d. où le moi peut sentir.)*

Morbus vero ut apparet, a partium reactione dependet, quae reactio partim consensu, partim antagonismo fit.

§. 25.

Primus Brown perspexit, morbi necessitatem in ipso organismo esse positam, sed tantum in eo, quod ad externas eius rationes attineat. Broussais autem morbi necessitatem in vita, in ipsa organismi notione ponit.

Uti apud eum morbus organicam vitam contra

animalem excitat, ita venenum ei hoc est, quod organicam vitam animali praevalentem reddit. Venena gravissimam efficiunt Gastro-Enteritiden.

§. 26.

Morbi notionum huc usque propositarum unaquaeque et ad bestias et ad homines referri potest et debet. Immo aptius ad bestias refertur definitio illa saepissime proposita, morbum esse commutatum aliquem statum sensibilitatis, irritabilitatis, reproductionis; nam tria illa momenta in singulis quibusdam earum ordinibus, et in Feris simul clarius et distinctius expressa quam in homine reperiuntur. Sed Broussais Pathologiam suam unice ad hominem retulit definitionem. Cum enim vita, in hominis vita animali ad notionem „Ego“ se elevat, tum demum oppositio illa vitae animalis et organicae, omnino vera est: quam notionem in bestiis nondum exsistere dicere possumus: nam vita earum spiritualis instinctui est subiecta. Instinctus autem vita est g e n e r i s, non i n d i v i d u i.

Quamquam ex vulgari sententia morbi hominum a morbis bestiarum eo distare dicuntur, quod morbi hominum maiorem praebeant varietatem, tamen maior illa varietas non nisi ex usu vel abusu intellectualium hominum facultatum, quae, ut dici solet, e statu naturae homines eripuerunt, potest explicari. Atque intellectuales faculates homini propriae sunt; secundum hanc ipsam sententiam in proprietate hominis vitae, posita est illa diversitas, quae inter eius et bes-

tiarum morbos intercedit. Sic est videre, etiam falsas sententias — et ea quam commemoravimus prorsus vitiosa est — si constanter eas persequamur, ad veram tandem notionem adducere; sed sero adducunt. nam notio hoc in casu disquisitionis est finis, quae principium esse debebat.

## §. 27.

Duae sunt rationes theoriam aliquam refutandi: altera, qua eius vitia demonstrantur, altera, qua alia ei substituitur, tacita de priore aestimatione habita. Hae duae rationes re ipsa minus, quam autumet forsan aliquis, inter sese differunt. Ego quidem, respectu Pathologiae Broussiaianae posteriorem inibo, respectu vero Therapiae Broussaianae haecce addam.

## §. 28.

Omnis theoria pathologica, quae viam therapeuticam, eamque ab experientia sola praescribi probabilem, etiam in aliquo tantum coërcet, falsa est.

Medici practici nec non theoretici ii, qui frequenter ad aegrotantium lectulos adstant, contra morbos medicamenta non ut *specifica* esse applicata, sed potius morbum unumquemque in hominibus aliis alio modo pertractandum esse, sibi persuasum habent. Totus medicaminum forsan apparatus, sub certis conditionibus, morbo uni convenire potest. Unde patet Therapiam Broussaianam vitiosam esse et Browniana peiorem, et iam ex hoc argumento, quia Brown medicamentorum maiorem copiam admittit.

Quo magis Therapia specialis **principiis** abundat, eo vitiosior est. De hac re exemplum afferatur. Principium methodi antiphlogisticae inflammationibus adhibendae, certis quibusdam conditionibus a medicis practicis ad aegrotantium salutem negligitur. Itaque non vere principium est neque summo sine damno ad imperitis certe medicis verendo, principium esse concedere possumus.

Quod philosophica demonstratio semper debet respicere, hoc est, therapiam non ipsos morbos tractare, sed modum tantum, quo morbi quidem se ostendant et observentur. Hac sola via fieri potest ut philosophia ex ea regione removeatur, in qua nihil prorsus habet momenti. De qua re sub hujus dissertationis fine plura subjiciam.

Theoriae autem a Brown et Broussais profectae in illam incidunt vituperationem, quod in iis rationes vel modificationes, quibus singuli morbi apparent, prorsus nihil pensi habentur. Quae si ita sunt, merito contendit **Cabanis**: *„le théorique du médecin devient nul au lit des malades."*

# De Vita et morbo.

§. 29.

Ut organismi phaenomena explicarentur semper notio vitae adhiberi solebat: quam inter notionem et, quae ejus est, explicatio discrimen et quasi hiatum esse apparet, quem nemo unquam ex ulla parte superare poterat atque transilire. Quo factum est, ut altera ex parte Empiria contenderet, ultimam phaenomenorum causam atque matrem quasi hypotheticam esse, neque mente percipi posse; altera ex parte philosophia de vita agens, arctissimis finibus circumscriptum haberet campum, et notionum atque definitionum araret sterilitatem.

Non est Barthez qui vitae induxerit notionem; at disertissime hac de re locutus est, notioni illi, ait, substitui posse A vel B, denique X; id quod nihil aliud sibi vult, quam notionem illam esse = o.

§. 30.

Natura autem suarum notionum est explicatio (*Entfaltung*), id quod vel Empiria probare atque affirmare debet, si gravem de exsistentia sua questionem, quae nullo alio modo ad finem perduci potest, dissolvere sibi proponit.

Quae tandem est mira ista sterilitas notionis, quae largam atque beatam ostendat messem, scilicet vitae notionis?

## §. 31.

Notio unaquaeque exanimis est, neque quae aliquid sibi producat valens, si ita est abstracta, ut ratio (*Verstand*) eam sibi colligerit et a rebus externis abstraxerit h. e., si schema inane, sciagraphiae instar est. Atqui si animadvertis ad id quo modo notiones inventae atque deinceps compositae sint et constitutae — artis hujus memoriam tradiderunt veteres libri priori seculo de logice scripti — facillime perspectu est, steriles eas esse. Non enim negatis particularitatibus natae sunt, sed negatis proprietatibus. Nunc autem rei proprietas est ipsius notio, notio a ratione constituta (*Verstandesbegriff*) et negatio sui est, neque exsistentiam, ne in cogitatione quidem habet.

Lumen, Magnetismus, Electricitas, Vita etc. ut notiones abstractae non tantum in phaenomenis cerni non possunt, sed ne in cogitatione quidem. In phaenomenis non possunt; nam lumen purum cerni non potest, indifferentiae punctum in acu magnetica omnino est $= 0$, idemque cadit in unionem utriusque Electricitatis. Eaedem in cogitatione cerni non possunt; natura enim non implicita notio sed explicita est, natura igitur notio talis, qualem ratio eam constituit, non est.

## §. 32.

Res externae ad externitatem suas qnaeque rationes habent. Sed etiam ex his rationibus nihil colligi potest, quippe in quibus res hae omnes negative tantum sese ostendant.

Ex vi attractoria oppositorum + M et — M Magnetismus percipi non potest, nam attrahendi et repellendi vis non Magnetismi est, sed totius naturae. Lumen umbram attrahit, haec illud (phaenomena diffractionis), Electricitas positiva negativam et vice versa, Kali acidum etc.

Sic etiam organismus ex sensibilitate, irritabilitate, reproductione percipi non potest; momenta haec enim rationibus tantum ad externas res pertinentibus continentur; quae eadem momenta praeterea, si vis, ad utramque et organicam et anorganicam pertinent naturam. Nam acus magnetica quae in candescendo Magnetismum abjecit, Magnetismum facillime revocat. Quispiam dixerit, in natura organica diversam ea momenta habere formam atque in anorganica; habeant, eo minus ex illis ipsis percipi potest natura organica.

§. 33.

Ergo organismus ex se ipso et ratione concreta intelligendus est.

§. 34.

Organismus humanus omnino is est, qui suam et omnium organismorum existentiam intelligat. Sed non tantum ratione logica vel per ipsum vitae decursum illorum existentias deinceps prae se fert, repraesentat et quasi confirmat. Sic homo conformatio individualis est, ceteri vero organismi particulares.

Haec difinitio nihil aliud sibi vult atque illa, quae hominem esse dominum, regem naturae dicit.

Sed quod veri haec altera continet definitio, *implicite* tantum et potentialiter, haud *explicite* et realiter enunciat.

Nulla est totius naturae vis quae non fuerit ad vitam explicandam adhibita. Quibus in explicationibus hoc unicum est verum, has explicationes esse adhibitas omnes. Suo Chemicus jure contendit, in phaenomenis vitae suos processus se agnoscere, sed fallitur si suos *tantum* agnoscit processus.

Fichte „*ein organischer Körper*, inquit, *ist ein solcher, in dem kein Trieb ist, der nicht auf ein Sein, und kein Sein, das nicht auf einen Trieb in ihm deute*“ h. e. simplicioribus verbis, corpus organicum esse congruens aliquid organisationis cum determinationibus. Id quod non in organicam sed etiam anorganicam cadit naturam; immo maxima ex parte eo physicorum pertinet studium, ut ex organisatione corporum ipsorum actiones percipiant atque reactiones.

Bichat dicit: „*la Vie et l'ensemble des fonctions qui resistent à la mort*“ sed magis in universum ita dicere licet esse aliquid + X quod resistat opposito suo — X. Bichat eodem jure atque meliore — nam crimen evitasset vitam secundum ipsius sententiam, statum negativum esse — „*la Vie est l'ensemble des fonctions qui conduisent à la mort,*“ dixisset.

Rectius Spinoza rem habet perspectam et expositam his verbis: „*Objectum ideae humanam*

*mentem constituentis est ipsum corpus sive certus exterioris modus actu exsistes.*"

Sed his omnibus explicationibus, quarum numerus in immensum augeri facillime potest, id unum objicio, necessitatem eas haud continere organismi ut evolutionis demonstrandi, id quod satis superque falsas eas esse probat. Nam quid tandem Fichtio et Bichatio sunt periodi vitae vel in universum evolutio vitae? Physiologi, qui altius rem exhauserunt essentiam naturae organicae in evolutione et organismi humani essentiam in evolutionis proprietate ponere nulli dubitarunt.

§. 35.

Ad eandem quam supra dedi organismi humani definitionem hac etiam via perveniri potest. Hominis ab animale discrimen est Cogitare. Cogitare est ponere alterum in τῷ Ego. Ergo τὸ Ego nascens est (*ein Werdendes*). Hoc ponere alterum in τῷ Ego etiam ad externitatem pertineat et in illa se aperiat necesse est, si quidem idea realitate consentanea est. Ergo organismi apparitio aliquid nascens, evolutio est.

§. 36.

Vita organismi ejusque et organici et, ut ita dicere liceat, anorganici idea sui est, quae se ipsa externat et evolvit, et evolutionis proprietas cum ipsius propria exsistentia una est atque eadem.

§. 37.

In corporibus regni mineralis evolutio seiuncta est ab exsistentia. Corpus enim minerale et ante

et post evolutionem exstat, et ipsa evolutio sensum tantum habet respectu habito ad universitatem corporum mineralium h. e. in Geologia.

In regno vegetabilium evolutio indifferens aliquid (ἀδιάφορον) est, et ab uno quoque membro incipere potest, igitur non est essentialis.

In regno animalinm, maxime in homine, verissima est evolutio, totumque ad organismum simul pertinet.

§. 38.

Foetus est organismus humanus, isque praevalente natura anorganica; quo fit, ut venena in eum nullum habeant effectum. Crescit quidem foetus, sed non liquore amnii assimilando, ut saepe numero contenderunt.

Partu edito vegetativae tantum functiones cernuntur, vitae modus vegetativus est, et quem tum unum nobis videre videmur sensum oculi, eodem sese patefacit modo atque in plantis, ut directio lumen versus. — Sic intima vegetabilium essentia in organismo cernitur.

Qua ex natura vegetabilium in animalium naturam transit organismus. Sensus patescunt, sed intra limites animalitatis coërcentur. Animales facultates ab humanis ita distant ut centro careant, nimirum centrum in genere iacet non in generis individuis. Quam ob causam sensus in iis prius maturi esse videntur, sed sunt generis non individui sensus. Hoc in gradu apud infantes inveniuntur sensus. Ut animalium ita infantis sensus centro

carent, nec tamen ut in animali, quod desideratur centerum in genere est positum.

Quia infantes centro carent, quia minus arcte determinati sunt atque concentrati, maiore utuntur receptivitate. Immo quae summa est conscientiae concentratio „τὸ Ego", iis tantum inest potentia non actu. — Sic intima animalium essentia in organismo cernitur.

## §. 39.

Quae verissima est atque propria hominis idea, haec organismum ut suum et ex se profectum habeat, necesse est. Eandem sententiam sic exprimi potest: quae sunt momenta in idea illa eiusque evolutione, haec sua quaeque in organismo eiusque evolutione respondentia habeant est necesse. Quem autem ideae cum organismo nexum exponere meum est.

## §. 40.

Accipiamus igitur sententiam, quam veram esse omnes consentiunt. Cogitare est hominis. Cogitare centrum indicat, quod centrum Ego est, quod nostrae aetatis philosophi aptissime „das seyende Denken" nominant. Hac via τὸ Ego nonnisi abstractione, sive negatione profectum est. Peripheria circuli sua quae est textura indicat centrum; sed ita centrum nihil est nisi negatio peripheriae, aliquid postulatum; vel peripheria centrum involvit, non ita eadem centri evolutio est. Hoc Ego negativum, aut potius hoc Ego, negatione auctore natum, adolescentis est. In scientiis hic est gradus

repraesentationis (Standpunct des Vorstellens). In organismo idem sese indicat ut commotiones animi (Leidenschaften).

τὸ Ego infantum involutum aliquid est, in se influentia ut homogena excipit, et quasi amalgamatione secum coniungit. Id quod ut anima sentiens (Gefühl) cognoscitur. In adolescente est initium animae ad τὸ Ego sese evolvendae, sed non modo positivo sese evolvendae. Adolescentis indoles iure excentrica vocatur. In se influentia ut heterogena excipit et cum adversis conflictatur, qui congressus Chemiae processibus fervidis similis est — Ut adolescens ita infans in centro non versatur, nec tamen infans extra centrum est

§. 41.

Cogitare est hominis. Cogitare est ponere alterum in τὸ Ego. Sed ut hoc Ego non est affirmatio, sic illud Alterum fortuitum est. Sic adolescentis vita fluctuans est, neque cordis palpitatio placida, vel rhythmica pulsuum iteratio. Vere cogitare non tam est ponere Alterum in τῷ Ego — sic enim cogitatio magis esset sub repraesentationis forma — quam identitas τοῦ Ego cum Altero. Quae identitas, si necessariae identitatis formam quoque praebere vult ex τῷ Ego proficiscatur necesse est. Sic cogitare est ponere τὸ Ego in Altero.

Adolescentes quamvis diversi esse videantur, tamen non sunt individualitates. Diversi sunt non diversitates ex ipsissimo Ego profectae. Quod Ego si se ipse externat, viri individualitas

revelatur, idque necessarie, nihil enim hic nisi individualitas externatur. Illud Ego affirmativum quod viri est, identitatem sui cum Altero sic procreat, ut se ipsum ponat in Altero. Hoc Ego centrum est unde peripheria describitur. In scientiis hic est gradus cogitationis construentis; in rebus ethicis est facinus (That) in organismo est morbus.

Ut facinus viri ipsius ethicam constitutionem, ita morbus physicam exponit.

§. 42.

Sed Ego se ita in Altero ponens, ipsum sibi ad mortem viam sternit.

§. 43.

In Altero ponere τὸ Ego, mori est. Ut enim vitae evolutio est ponere varias deinceps organisationis formas in organismo humano, sic evolutio mortis est organismum humanum reponere in illas. Sic mortis necessitas inest in ipsa organismi idea, neque ut nonnulli voluerunt philosophi in relatione, quae est ideae cum ipsius realitate.

Neque nova est illa quam proposui mortis deductio. idem est Tragoediarum fundamentum „ἔρασαντι παθειν“. In iis hominis facinus est, quod mortis viam ipsi sternat; quod cum interitus ex facinore nascatur, idemque facinus ut pensum quod absolvatur et fatum personae, ita eius τέλος et verissima sit exsistentia. Sic exsistentia cum interitu contexta est.

§. 44.

Evolutio mortis eadem est atque vitae, mutato graduum ordine. Praemoritur facinoris facultas. animi motus intermoriuntur. emoriuntur sensus. reproductio (respiratio, digestio) iam sola superstes est. qua exstincta organismus naturae anorganicae redditur, unde olim ortus est.

In morte animalium, quippe quorum idea sit genus, genus sese singulis individuis superius praebet. haud tamen quia individuum minus respondet generi, ut nonnulli voluerunt, sed quia vita atque exsistentia g e n e r i s deletione tantum individuorum sese praesentem praebet. Noli tamen tales in hominem secure transfundere notiones.

Quispiam dixerit mortem effici asthenia, atonia fibrarum, obliteratione vasorum. Nempe eidem placet vitam effici sthenia, intentis fibris, apertis vasis?

§. 45.

Haec est organismi humani natura, ut in eo uno diversae diversorum organismorum rationes, quas esse in utraque et vitae et mortis evolutione docuimus, contineantur. Haec identitas est s a n i t a s.

Sua quaequae momenta evolutio altera p o s t altera, non altera i n alteris prae se fert. Ut in identitate nihil cerni potest, ita externata organismi idea se cerni v u l t. Unde colligitur organismum sanum esse non posse, ex ipsissima notione. Aegrotus est.

§. 46.

Morbus actus est organismi qui se ipse ut per-

fectam atque absolutam sanitatem constituit, et singulas suas directiones quasi emittens, se illarum esse identitatem monstrat. Hoc modo identitas illa ante oculos ponitur.

Sanitas ita speciem, quam ei ex omnibus huc usque definitionibus adhaerebat, negativam seponit. Talis sanitas negativa in infante est; contra in viro, apud quem omnia ex interno determinantur, etiam sanitas formam positivam sibi vindicat. Viri est aegrotare, id quod suum sensum habet, si quidem eum morbum quem supra dixi esse, accipis, neque eum esse perturbationem functionum, corruptionemque partium mavis. Quod quidem priscis iam Graecis parum probatum est quippe qui organismo „τὴν κρίσιν" h. e. iudicium de morbo vindicarent.

§. 47.

Evolutio vitae non est morbus, quamquam non est identitas directionum. non enim ovulum sanum est. Neque evolutio mortis, quamquam non est identitas directionum, morbus. non enim cadaver sanum est. Sanitas non ita est ut careat directionibus illis. et morbi est, ut ex identitate proficiscatur.

Pathologia prior morbos molimina naturae salutaria esse volebat, et vim medicatricem supponebat. Qua supposita morbum esse necessarium concedebat, quia organismus constitutione sua contra illum munita esset. Sed quum morbum esse necessarium non ex ipso organismo colligerit, morbus ei Ens (*entité*) esse visum est, quam pa-

pathologiam Broussais suo iure ontologiam nominat. Sed congruenter pathologia ista hac via nihil proficit; ultima enim causa, ob quam morbus aliquis nunc et his conditionibus aggrediatur organismum, in hoc non in morbo iacet, ex hoc non ex morbo repetenda est.

§. 48.

Diversae morborum classes notionis morbi explicatio sunt. Ex illa notione igitur derivandae sunt. Morbi notio est τὸ Ego ponere in Altero.

§. 49.

In Hypochondria fit ut Ego se in organismo suo ponat, postquam hunc externavit et ut alterum sibi alteri opposuit. Sic omnes directiones organismi in τῷ Ego singulatim proveniunt. Hypochondria igitur summa est morborum singulorum omnium, qui cum in τῷ Ego tantum exsistunt non realitatem externam habent, sed in imaginatione tantum sunt. Huius morbi igitur decursus in corporis partibus non cernitur — Hypochondria Therapiam fugit, quae tum tantum efficax esse potest, ubi morbus externorum vitiorum auctor est, eorumque vitiorum quae non pertineant ad intimam morbi naturam.

§. 50.

Praevalentia vitae sub forma vitae humanae Mania est.

*Die Verrücktheit ist kein Verlust des Verstandes, sondern das absolute Unglück des Widerspruchs, dass der Geist, der die freie Identität des Subjectiven oder Objec=*

*tiven ist, in seiner Ichheit nicht als die absolute Idealität, sondern als wirkliches Ding, und eben so das Objective gegen ihn existirt, und er deren reine Identität ist.*" Hegel Encyclopaedie pag. 219.

Praevalentia vitae sub forma animalis vitae eos morbos efficit, qui Neuroses vocantur.

Praevalentia vitae sub forma vegetabilis vitae morbi sunt reproductionis.

Reproductionis morbos autem non dicimus indispositiones ventriculi vel aliorum viscerum, quippe qui maxima ex parte inferiores, quam ad quos descendere possit ratio, sint. Ea in regione continentur in qua organa anorganice tantum reagunt (venia sit verbo). Sed ad morbos reproductionis diabetes mellitus numerandus est, in quo universa assimilatio sub forma mutata, dein fungorum species (fungus medullaris, haematodes, Melanosis) in quibus, exstirpatione adhibita, non multum proficitur, et organismus in vitiosa quae est formatione, assidue permanet.

Therapia autem, ut videtur, plane contraria utitur sententia hac, adversus causas tantum esse agendum, ut curatio radicalis non symptomatica sit. Quae sententia contraria causae minus intellecta notione, nascitur. Nam si quid causa esse ponitur, effectus est necessarius atque in ipsa causa involutus. Duo phaenomena invicem se excipere quidem possunt sine nexus causalis supponenda necessitate. Hic ut adsit causa sine effectu, et vice versa effectus sine causa non cogitari possit, necesse

est. Quae vulgo vocatur morbi causa, habitum externum tantum affectionis determinat. Tales idcirco causae nunquam eodem utuntur effectu atque ita carent eo, quod causae est proprium.

---

Quod ad Therapiam pertinet, hoc notandum est, omnes morbos quibus notiones respondeant supra propositas, non esse intra ipsius provinciae fines. Quae sententia neque nova est, et theoremate Chirurgia accepto probari potest. Magna morborum pars ulcera, quibus observatis et certissima et facillima morbi est diagnosis, prae se fert. Ulceri autem mederi idem valet atque ulceris formam revocare normalem. Ulceri normali mederi solus organismus valet neque arte effici potest. Sic adversus modificationes tantum ulceris Therapia sese convertit. Quas inter modificationes si quae sunt in organismo universo fundatae, ulceris forma et ipsum ulcus insanabile est.

Est magnus morborum ordo, in quo modificationes externae speciem vere causarum prae se ferant, eorundem semper effectuum auctores sese exhibentes. Qui ordo est morborum contagiosorum. Recentiores tamen observationes a *Moreau de Jonnés* observatae, morborum omnium contagiosissimum, choleram (febrim flavam, Maladie de Siam) non omnino contagiosum esse docuerunt, ita ut potius certam aliquam illius in gratiam receptivitatem supponi oportuerit. Qua subposita ut necessaria receptivitate, natura morbi contagiosa esse negatur, et occasionem tantum praebere morbus conceditur, quam esse naturam uniuscuiusque causae, a Therapia morborum causa esse essentialis propositae, nostra est sententia.

---